



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. I. Reperitur in voluntate Dei amor amicitiae (saltem latè) circa
creaturam rationalem; solius concupiscentiae circa irrationalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

Respon-
sur ad ar-
gumentum
Ponci in
contrariū.

salute omnium, etiam dæmonum, & hominum damnatorum, habeat insuper voluntatem liberam, & aliquo modo efficacem, formaliter terminatam ad ipsam salutem eorum, qui non salvantur. Et idem dico de Confessione, quæ non ponitur, cum tamen posset, & deberet poni. Tamen si quippe præceptum Confessionis sit voluntas signi, ut patet ex ante dictis, equidem adjunctam habet, & significat veram internam voluntatem Dei, quæ non solum vult obligare hominem peccatorem ad Confessionem; sed etiam, quæ vult ipsam Confessionem, tamquam rem bonam, dando media sufficientia ad eam ponendam; ad impossibile namque nemo obligatur; si ergo intendit obligationem, consequenter intendere debet media necessaria ad eam actum ponendum; sed de hoc alio loco latius.

67. Cæterum Poncius sup. n. 16. advertit, quæ-
Ditum A. sionem, de qua hæcenus disputavimus, scilicet
post. Vult, omnes
Gr. potest
intelligi de
voluntate
anteecedente
& conse-
quente.

de qua voluntate intelligi debeat dictum Apo-
stoli: Vult, omnes homines salvos fieri, quamvis
multis appareat gravissima, fortasse non esse
nisi de nomine. Ipse autem num. 18. sic ad eam
respondet: Ille locus non debet intelligi de vo-
luntate antecedenti tantum, nec etiam de con-

sequenti tantum; sed optimè potest intelligi de
utraq; non quod respectivè ad singulos de-
beat intelligi de utraque; sed quod respectivè
ad aliquos debeat intelligi de antecedenti, & ad
alios de consequenti. Ad reprobos utique de
anteecedenti; ad prædestinatos autem de conse-
quenti. Itaque quod ad rem attinet, in qua om-
nes conveniunt, & convenire debent: Multi
(imò omnes) sunt vocati, pauci verò electi. Pauci,
inquam, in comparatione pereuntium; sine
comparatione autem pereuntium, & ipsi multi
vocati, inquam, omnes per voluntatem anteceden-
tem, quæ media sufficientia ad salutem om-
nibus offeruntur, quamvis non ab omnibus ac-
ceptentur, aut omnibus applicentur: electi verò
pauci per voluntatem consequentem, quæ me-
dia efficacia ad salutem eis conferuntur; & idem
hi salvi sunt, illi autem in æternum damnan-
tur. Et ecce pervenimus ad prædestinationem,
& reprobationem, de quibus disp. sequenti
diffusè, secundum exigentiam tantæ rei, tra-
ctandum erit. Porro in hac disputatione adhuc
restant duæ Sectiones, una de Affectibus divi-
næ voluntatis, altera verò de ejus virtutibus.
Erit igitur

SECTIO QUINTA

DE AFFECTIBVS DIVINÆ VOLVNTATIS.

1.
Quid sig-
nificet pas-
sio animi.



Dantur
passiones in
voluntate.
Scotus.

Uamvis constet (auditis Smil. sup.
n. 49.) in Deo propter spirituales
naturam non esse passionem ani-
mi, prout hoc nomine, juxta pri-
mam ejus impositionem, significatur quædam
affectio appetitus sensitivi conjuncta cum qua-
dam corporis alteratione; tamen cum similes
affectiones, quas patitur appetitus sensitivus,
inveniantur in appetitu nostro rationali; hinc
quæri potest, an passio voluntatis, ut per se ab-
strahit ab immutatione corporali, possit conce-
pi sine imperfectione, & sic divinæ tribui vo-
luntati. Quod autem dentur tales passionēs,
expressè docet Scotus 3. dist. 33. q. un. s. Hac
opinio verè. Tertia ratio de moderatione, nu. 9. di-
cens: In voluntate sunt passionēs secundum Aug. 14.
de Civit. c. 5. & 6. Igitur si propter moderationem
passionum ponenda sit virtus in supremo illius po-
tentia, in qua est passio; sequitur, quod cum in su-
prema parte animæ, scilicet voluntate, sint aliqua
passiones, quod ibi ponentur virtutes. Item 4. dist.
49. q. 7. verè. Ad rationes in oppositum, n. 5. ubi
sic ait: Dicendum est, quod sunt passionēs quedam,
quæ insunt cum mutatione, & alteratione partis
sensitivæ, & non sunt sine immutatione organi, &
illa sunt totius conjuncti; alia sunt passionēs tantum
spirituales, & illa possunt sine omni mutatione,
quæ est in organo, fieri, & tales sunt (passiones)
animæ.

2. Hic ergo dubitatur, an illæ, quæ vulgò nu-

merantur animæ passionēs, sint in Deo. Secun-
dò, an sint in Deo sub ratione passionis. Et ad
prioris dubii explicationem supponimus (in-
quit Smil. sup.) ut communioem (an fir-
rior, non est hic examinandi locus) divisionem
passionis in undecim membra, quæ colligit D.
Tho. 1. 2. q. 23. a. 4. nempe, amorem, odium,
desiderium, fugam, delectationem, tristitiam,
spem, desperationem, timorem, audaciam &
iram; ex quibus sex priores ad appetitum con-
cupiscibilem, quinque posteriores ad irascibi-
lem appetitum pertinere docet. Sic ille. Et de
his omnibus est difficultas, quamvis major de
una, quam de alia. Incipiam ab ea, quæ eerta
est. Sed, amabò, quæ isthæc? Amor, pro quo
instituitur

CONCLUSIO I.

Reperitur in voluntate Dei amor
amicitiæ (saltem latè) circa cre-
aturam rationalem; solius con-
cupiscentiæ circa irrationalem.

Affectum amoris esse actum & formaliter
in Deo, nemo ambigit, qui vel credit
Scripturæ, vel ratione naturali ducitur; nam
Sapientiæ 1. v. 25. dicitur de Deo: Diligit
omnia

omnia que sunt; & Joan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret. Et alibi sæpe idem exprimit. Merito planè: nam amor non est aliud, quàm quædam propensio in bonum alienius; in qua utique propensione, seu affectu, sic præcisè considerato, & seclusis imperfectiōibus, quas in creaturæ voluntate habet, nulla imperfectio Deo repugnans reperitur; quidni ergo Deo tribuendus, qui infinitè perfectus est. Quinimò, omnis alius actus voluntatis supponit amorem, & ex illo ducit originem. Nam, ut dicit Scotus 2. dist. 6. q. 2. n. 3. est in communi duplex actus voluntatis, scilicet velle, & nolle: nolle enim est actus positivus voluntatis, quo fugit disconveniens, seu resistit ab objecto disconveniente: velle est actus, quo acceptat objectum aliquod conveniens. Et est ulterius duplex velle, quod potest nominari amicitia, & concupiscentia: & dicitur, velle amicitia esse istius objecti, cui volo bonum, & velle concupiscentia esse istius objecti, quod volo alicui alii amato.

Istorum autem actuum patet ordo; quia omne nolle presupponit aliquid velle; à nullo enim refugio, nisi quia non potest stare cum aliquo, quod accepto tamquam conveniens. Et hoc dicit Ansel. de Casu diaboli cap. 3. ponens exemplum de avaro nummo, & pane. Et istorum duorum velle patet ordo; quia concupiscentia presupponit illud amicitia: cum enim amatum sit respectu concupiscentie quasi finis, cui volo bonum; nam propter amatum concupisco sibi bonum, quod sibi volo, & cum finis voluntatis habeat primam rationem objecti voliti, patet, quod velle amicitia præcedit velle concupiscentia. Cum igitur constet, in Deo esse aliquem actum voluntatis, sequitur, in eodem esse actum amoris. Quomodo autem Deus amet se, & alia, tam futura, quàm merè possibilis, habes Sect. 2. huius disp. Conclus. 2. §. 6. Videantur ibi dicta. Hic specialiter tractandum est de amore creaturæ rationalium, & irrationalium.

Cum enim sit duplex amor, ut statim audimus ex Scoto, unus amicitia, qualis est, qui respicit objectum, ut est quoddam bonum in se; alter verò concupiscentia, & est qui respicit objectum, ut est bonum alteri; dubitatur à quibusdam; an uterque amoris actus formaliter reperitur in Deo respectu creaturarum? Et conveniunt, non esse in Deo amorem amicitia; sed solum concupiscentia respectu creaturarum irrationalium. Atque hæc est secunda pars nostræ Conclus. quæ reperitur apud Scotum 3. dist. 32. §. Tertium patet, n. 6. ibi: Ad secundum (parà, non omnia sunt diligibilia ex charitate, quia non inanimata, nec irrationalia) dico, quod licet inanimata non sint propriè diligibilia ex charitate, quæ est amicitia, & ad ipsa non est amicitia propriè habenda: potest tamen haberi ad ipsa aliquid velle ex charitate, quale scilicet habendum est ad ea: possum enim ex charitate velle arborem esse, & arborem mihi servire ad talem actum, in quantum talis actus juvat me ulterius ad diligendum Deum in se; & hoc modo potest concedi, quod Deus ex charitate diligit omnia, non volitione amicitia; sed tali qualis est habenda respectu eorum.

Igitur secundum Scotum, Deus diligit inanimata, & irrationalia; non tamen amore amicitia; sed solius concupiscentia: quia quàmvis Deus arborem v. g. velit esse, non tamen vult hoc propter ipsam; sed in quantum est arbor bona alteri; adeoque est velle istius objecti, quod volo alicui alii amato, quod est definitio Scoti sup. 2. dist. 6. ut audimus, amoris concupiscentia; non autem velle istius objecti, cui volo bonum, quod est definitio amoris amicitia ex Scoto ibidem.

Et quoniam Deus vult creaturam rationalem non tantum esse, sed etiam vult ei bona tam naturalia, quàm supernaturalia; idè, ut habet Conclus. prima pars, amat eam amore amicitia. Estque sententia Scoti 3. dist. 27. §. De tertio dico, n. 20. Ad primum (inquit) argumentum principale concedo, quod charitas (scilicet quæ est inter Deum, & hominem justum) propriè potest dici amicitia, licet non omnino accipiendo amicitiam strictè, sicut accipit Philosophus 8. Ethic. 7. sed aliquantulum extendendo: sicut, secundum intentionem ejus; ad Deum est aliquid excellentius amicitia. Illa enim excellentia objecti non tollit, quod est perfectionis in objecto; sed illud, quod est imperfectionis. Honestas quippe in diligibili, & redemptio in affectu, sunt conditiones per se in diligibili, non quidem imperfectionis; imò non esset perfectior, si non redamaret: sed aequalitas in istis est conditio concomitans; Deus autem habet honestatem & redemptionem, sicut amationem; & excellentius potest esse amicitia ad ipsum, ita ut dicatur superamicitia. Et si arguitur, quod aequalitas est ratio amicitia. Verum est, supposita honestate, quæ est prima ratio amabilis: aequalitas autem est ratio amicitia strictè sumpta: sed excellentia est ratio habitus magis similis, vel perfectioris, quàm sit amicitia: talem in proposito voco charitatem. Ita Scotus. Ubi satis clare indicat nostram Conclusionem, quæ, secundum ista, intelligi debet, non de amicitia omnino strictè dicta; sed de amicitia propriè dicta, quæ potest, propter excellentiam suam vocari superamicitia. De hac intellige, quod dicitur 1. Joannis 3. v. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur, & simus. Et dubitabimus, Deum diligere filios suos amore amicitia; sicut reverà potest eos diligere? Aliud est, cum aliqua tribuantur hominibus, v. g. sint palmites, oves &c. quæ nullo modo possunt propriè intelligi; homo autem justus propriè potest dici filius Dei, non quidem per naturam, sed per adoptionem, quæ sufficit ad tribuendam denominationem veri amici Dei. Charitas ergo, per quam adoptamur in filios Dei, ipsa est, per quam constituimur veri amici Dei, non ex natura rei, sed ex divina ordinatione, ut docet Scotus 4. dist. 16. q. 2. §. Respondet, de quo non est locus hic disputandi.

Satis est ad propositum nostrum; quod homines justi sæpissimè in Scriptura appellantur amici Dei, & nihil obstat, quin tales propriè sint. Primum patet ex illo Judith 8. v. 22. Per multas tribulationes probatus Abraham, Dei amicus effectus est. Et Propheta Regius Plal. 138. v. 17. ait:

Sed tantum amor concupiscentia.

6. Creaturam rationalem amat amore amicitia. Scotus.

Probatur ex Scriptura.

7. Homines justis sæpe vocantur amici Dei.

ait: Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Accedat testimoniū ipsius æternæ Veritatis Joan. 5. v. 15. *Iam non dicam vos servos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus; Vos autem dixi amici; quia omnia, quacumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Itemque v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Quod autem hæc Scripturæ propriè possint intelligi, probatur ex conditionibus veræ amicitiae, quæ omnes competunt charitati, quam nemo negat inter Deum & hominem. In primis, charitas est benevolentia, 1. Cor. 13. v. 5. *Non querit quæ sua sunt.* Charitas est dilectio mutua, juxta illud Joan. 14. v. 21.

Conditiones
veræ amicitiae
competunt
charitati. Prima
& 2. conditio.

Objectio
diluitur.

Qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum. Si objicias: Amat nos Deus in ordine ad se: Responderetur: non quasi in commodum suum, utpote qui non indiget nostri; sed in ordine ad se tamquam ad finem nostrum, ut in eo nobis bene sit. Et hinc etiam utrumque amor est cognitus, id est, non latens. Scimus quippe ex Scriptura, Deum se diligentes diligere; sed sicut non nisi probabiliter scimus nos Deum amare; ita quoque solum probabiliter scimus, Deum nos amare. Hoc tamen sufficit ad veram amicitiam; cum etiam non simus certi omnino nos ab homine amico diligere.

8.

Tertia
conditio.

Tertiò, charitas communicat eum Deo: per ipsam etenim efficitur participes divinæ naturæ, Deinde, communicamus in virtutibus, & affectibus bonorum spiritualium, & supernaturalium actionum, per quas virtutes Deus hominem servum suum elevat ad statum altiorum, adoptando eum in filium, & heredem; ut ita possit magis perfecta esse inter illum, & hominem amicitia. Unde licet inter Regem, & subditum, non possit esse amicitia æqualitatis, qualis est inter pares; equidem potest esse amicitia supereminentiæ, seu excellentiæ, ut patet ex Scoto sup. & fatetur Aristoteles Ethic. 8. cap. 7. & 12. Nec mirum, quod Aristoteles negaverit amicitiam inter Deum, & hominem: siquidem ignorabat dona supernaturalia, per quæ homo elevatur ad statum divinum. Contra: Inter Deum, & hominem elevatum, est major inæqualitas, quam inter Regem, & subditum vilissimum. Responderetur cum distinctione; major inæqualitas in natura, & perfectione; secus in participatione ejusdem status: hinc Psal. 81. v. 6. scriptum est: *Ego dixi, dii estis &c.* Quartò, charitas implet sermonem Dei, seu facit nos ea facere, quæ Deus præcipit: Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis est dilectio.* Et Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Item 1. Joan. 2. v. 5. *Qui autem servat verbum Dei, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Deus etiā facit voluntatem timentium se, Psal. 144. v. 19. *Voluntatem timentium se faciet.* Unde facit ex duobus quasi unum, ad Gal. 2. v. 20. *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quintò, charitas exponit omnia secreta Deo, Psal. 141. ver. 3. *Effundo in conspectu ejus orationem meam &c.* Similiter & Deus communicat justis sua secreta, ut patet ex illo Joan. 15. sup. allegato: *Iam non dicam vos servos &c.* Vos autem dixi amicos,

Objectiones
Solutio.

Quarta
conditio.

Quinta
conditio.

quia omnia, quacumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Sextò denique, charitas non patitur diuturnam absentiam amicorum; quia per eam conversatio nostra in cælis est, juxta illud Joannis 14. v. 23. *Et pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quis jam non videt, Scripturas sup. allegatas, appellantes hominem justum amicum Dei, propriè posse intelligi; & si possint, vellem scire, quare non debeant sic intelligi. Quæ enim imperfectio in hac amicitia inter Deum, & hominem invenitur, ut non sit Deo tribuenda?

Illam, inquit, quod amicitia debeat tendere in objectum propter se: Deus autem non diligit hominem propter hominem; sed propter seipsum: *Univerſa* siquidem propter seipsum operatur est Dominus, ut constat ex alibi dictis. Ad hoc argumentum sup. responsum est, & iterum respondendo cum Felice de Voluntate Dei cap. 6. num. 4. Non requiritur ad amorem amicitiae, quod objectum sit ultimus finis, sufficit, quod sit intermedius, & habeat rationem finis; si comparatur ad res, quæ ad ipsum ordinantur, etiam si comparatus ad finem ultimum, sit medium. Et patet; nam amore amicitiae & charitatis diligimus proximum, & propter se: tamen proximus non est finis ultimus, sed intermedius, ut comparatus ad Deum, qui est ultimus finis. Sic ille, Sufficit ergo ad amorem veræ amicitiae, secundum Scotum sup. allegatum ex 3. dist. 27. ut sit voluntas illius objecti, cui volo bonum: certum porro est, Deum velle creaturæ rationali bonum, quatenus ei bonum est, v.g. æternam salutem, quatenus per eam consequitur ultimum suum finem.

Nihilominus (subdit Felix sup.) etiam lateat esse amicitiam: nam est amor inter nos, & Deum, & utrique notus, & fundatus in communicatione bonorum, & quando Deus non diligit, non diligit propter suam utilitatem & commodum; existimo non esse amicitiam in rigore Philosophico; nam Deus non amat nos ultimè in nobis sistendo, quod ad strictam amicitiam desideratur. Hæc est mens Scoti in 3. Concedo, quod charitas propriè potest dici amicitia, licet non omnino accipiendo amicitiam strictè, sicut accipit Philosophus, sed aliquantulum extendendo. Hucusque Felix. Sed quæro ego: Scotus hoc dicit; quia Deus non amat nos, propter nos ultimè: de eo nulla ibi mentio; sed de defectu æqualitatis inter Deum & hominem, quam ad strictam amicitiam requirit Philosophus Ethic. 8. c. 7. & lib. 2. Moral. cap. 11.

Interim Smil. tr. 3. disp. 4. num. 90. (quem secutus fuit Felix) putat, amicitiam excellentiæ non esse strictè inter Deum, & nos, eo quod ex parte Dei non sit benevolentia, strictè loquendo: quia (inquit ille) non potest aliquam creaturam diligere propter ipsam ultimè, seu in ipsa sistendo; sed solum propter seipsum, ut medium propter finem ultimum; adeoque non potest creaturam diligere amore benevolentiae, strictè loquendo; cum talis amor feratur in alterum, propter ipsum ultimè, seu ibi sistendo.

CONCLUSIO II.

Odit Deus impium, & impietatem
ejus, non odio inimicitiae, sed
abominationis.

Ecce secunda passio, de qua dubitatur, an sit
in Deo. Nam scriptum est Sap. 11. v. 25. *Diligis enim omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odians aliquid constituisti, aut fecisti.* At verò Sap. 14. v. 9. ait Scriptura: *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Nunquid hæc sibi adversantur? Absit; sed cum distinctione in Conclus. expressa commodè intelligi possunt; prima quidē Scriptura de odio inimicitiae, secunda autem de odio abominationis. An autē sic debeant intelligi patebit ex dicendis. Nota igitur, duplex esse odiū in voluntate humana, unū abominationis, alterum inimicitiae. Odium abominationis (inquit Felix sup. n. 8.) est displicentia mali alicujus personae. In quo odio includuntur duo actus (secundum Thomistam duo respectus) primus est amor personae, v. g. Petri: secundus actus est displicentia mali, nempe, nolo malum Petro; & totum hoc simul vocatur odiū abominationis. Odium inimicitiae est, velle alicui malū, ut malum ipsius. In quo etiam est duplex actus; primus est displicentia personae v. g. Petri, id est, nolo Petrum: secundus actus est complacentia mali; scilicet, volo mortē Petro, & hoc totum vocatur odium inimicitiae, quāvis formaliter constet in actu, quo nolo Petrum; sicut odium abominationis formaliter stat in displicentia mali. Ita Francisc. Hoc prænotato,

Probat idem Auctor odium esse in Deo, ex D. Tho. 1. 2. q. 29. art. 1. ubi in corp. sic ait: *In appetitu animali, seu in intellectivo, amor est consonantia quadam appetitūs ad id, quod apprehenditur, ut conveniens: odium verò est dissonantia quadam appetitūs ad id, quod apprehenditur, ut repugnans, & nocivū.* Subjungit Felix: sed impius, & impietas est Dei honori repugnans; ergo divino appetitui dissonat: ergo utrumque odio habet, & de impietate evidenter concludit. Sic ille post Smil. sup. n. 52. dicentē: *Constat, impium, quā talem, ejusque impietate apparere, ac verè esse repugnantē divino honori; adeoque nocivum Deo, prout in hoc externo bono nocumentum pati potest; & sic ab impio, ejusque impietate, dissonat divinus appetitus: ergo impium cum sua impietate Deus odio habet.* Quæ ratio, saltem de abominationis odio concludit evidenter. Ita Theod. Ergo in Deo esse aliquod odium est evidens; quidquid Aliqui reclamant, cavantes dictam Scripturam Sap. 14. metaphoricè esse intelligendā, quatenus in operatione ad extrā, seu quoad effectum, ita Deus se gerit, ac nos solemus, cum quidpiam odio habemus, impugnando, & destruendo illud. Sed perperam recurritur ad metaphorā, quando Scriptura propriè potest intelligi, ut alibi ostendimus ex D. Aug. jam autem propriè potest intelligi, saltem de odio abominationis, quidquid sit de odio inimicitiae, de quo statim: ergo sic est intelligenda; cum non sit ratio improprie intelligendi.

14.
Probatur
Conclus. ex
Script.

Duplex est
odium, abo-
minationis
& inimicitiae. Quid
abomina-
tionis.
Felix.

Quid odium
inimicitiae.

15.
An odium
sit in Deo.

Probatur,
quod sit.
Smiling.

sistendo, quantum est ex vi talis actūs; solum potest largi benevolentia nominari, quando non propter utilitatem & commodum amantis voluit, quod est voluit propter amantē, prout sit in presenti; quia Deus ita propter seipsum amat creaturam, ut tamen non propter utilitatem, & commoditatem suam, quam commoditatem, vel utilitatem videtur spectare concupiscentia, juxta vulgarem istius vocis acceptionem; sicut juxta usum Philosophorum, & Theologorum, latius pateat, & quatenus contra benevolentiam distinguitur, complectitur omnem amorem alicujus propter alterum, seu non propter ipsum amatum amore concupiscentiae: unde amor, quo Deus diligit creaturam, quatenus ad illam terminatur in rigore Philosophico amor concupiscentiae est, non benevolentiae. Quare nec propriè in Philosophico rigore amicitiae rationem habet. Hæc nūc Theod.

Quibidem n. 91. consequenter docet, amorem proximi propter Deum, respectu proximi non habere rationem benevolentiae, nisi prout proximus concipi potest, tamquam aliquid Dei, seu unum cum Deo per participationem donorum, quibus Deo specialiter unitur, ac divinae naturae consors efficitur. At (inquit) spectando proximum sub ratione mediū voliti propter Deum, tamquam finem, non habet talis amor respectu proximi rationem benevolentiae; sed tantum respectu Dei. Etsi verò amor proximi, spectatus priori modo, habeat rationem benevolentiae, atque etiam mutuae benevolentiae, si proximus nos redamet in Deo; non tamen habet rationem amicitiae in Philosophico rigore; quia ille actus pro motivo primo habet Deum, & respectu hujus non habet rationem amicitiae strictæ, ut diximus; ergo nec respectu proximi, qui, ut dicebamus, tali actu ut unum cum Deo diligitur: habet tamen largè rationem amicitiae, acceptæ pro mutua benevolentia, utrimque nota, in quadam bonorum divinorum communicatione fundata. Hucusque Simil. Sed puto esse questionem de nomine maj. quā de re; & ideo nolim ei amplius immorari.

Certum est, Deum nos amare, & reciprocè nos Deum amare; vocetur benevolentia, amicitia, vel concupiscentia, quid refert? dummodò ipsum super omnia amemus, ipse erit merces nostra magna nimis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in ipso, & quomodo ei malè esse poterit in Deo? Constat etiam, sic Deum non amare creaturas irracionales, quas non propter seipsas, sed propter hominem voluit esse, quāvis & ultimè propter seipsas. Nam ut dicitur Prov. 16. v. 4. *Unversa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et actum subiungitur: *Impium quoque ad diem malum.* Num ergo impium odit Dominus? Jam edissero.